





38

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS.  
DE  
**METALLO REGIO.**

Per ejus naturæ historiam & Principia progrediens.

Q V A M,

Præside Deo O.M. omnis in cognitione naturali Luminis Auctore  
& Statore, ejusdemque Providentiæ faventi Auspicio.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

**D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A. M.**  
Phil. & J. U. Doct̄ illiusque in Illustri Academia  
Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.

U T E T

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima  
Acutissimaque Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

J U X T A A C

Liberalium Artium Magisterio.

Summisque in PHILOSOPHIA Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Publica disquisitioni examinandam submittit*

**MICHAEL WARIENSIS, Trans-Tybiscanô Ung.**

*Die 24 Septembr., horis locòque solitis.*



ALUGDUNI BATAVORUM,  
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,  
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

*Speḱtabili, Inclyto, ac Venerabili*

# SENATUI DEBRECENENSI.

OCTOGINTA-VIRALI.

Ungaricæ Sionis Lumini, Columini, Studiorum Humanitatis  
Palladio, in modernis dulcissimæ Patriæ rebus arctioribus So-  
lamini & Refugio propemodùm Unico.

V T E T

*Pranobili ac Splendidissimo in eadem Republica*

## MERCATORUM ORDINI.

D. CLEMENTI SZABO.  
D. MICHAELI BARANYI.  
D. JOHANNI BERNAT.  
D. NICOLAO EOTVOS.  
D. STEPHANO DOBOZI.  
D. PETRO VECSEI.  
D. MICHAELI WIGKEDVU.  
D. SAMUELI DIOSZEGI.  
D. GEORGIO COMAROMI.

Cæterisque generosis & eximiis ejusdem Societatis membris,  
denique Dominis meis, Fautoribusquè quibuslibet, ac in Uni-  
versum omnibus Emolumenti Literarii Amatoribus & æstima-  
toribus æquissimis.

*Se totum, suumque hoc publicum Decertationis Promoto-  
ria argumentum cum debita animi propensione offert.*

MICHAEL WARIENSIS.

PHILOS. CANDIDATUS.

# DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## INAUGURALIS.

DE

# METALLO REGIO.



bjectum hoc dissertationis nostræ, quod certo quodam respectu Metallum Regii nomine insignire visum est, illud ipsum esse, quod propriè & cum vulgo loquentes Aurum appellamus, nimis quam cuilibet notum est. Hypothesis, quæ ex Universo Mundi Systhemate deprompta, ejus naturam aperit, & essentialitatem intimam exprimit non alia est, quam quod sit congeries particularum tertii Elementi in varia quasi brachia diversarum, atque hinc inde fibrarum, quibus pollet, extensione sic implexarum, ut ramorum arboris flexilium & irregularium quandam speciem cum singulari contextura præ se ferant, quæ in se quidem spectatæ non adeò à subtilitatè recedunt, quin satis tenues dici possint; crassitie verò notabilis si cum certo genere materiæ, imprimis verò cum actione globulorum cœlestium comparentur; quippe ab iis in primordio generationis regionum Terræ, cum aliis determinatæ magnitudinis deorsum pressæ, juvante ad hoc etiam vi gravitatis, tam arctâ inter se connectione firmatæ sunt, ut motus eorum interrumpant, hacque excellenti adhæsione præstant, ut nullis agitationibus ab iis provenientius ad disjunctionem à se mutuo subeandam cedere debeant, ideòque illud debere esse corpus valdè densum ex junctis staminibus, solidum, durum, & opacum & non nisi ex minutis certæ cujusdam figuræ & quantitatis posse componi, denique magnam materiæ terrestri ac propriæ copiam sub exigua mole & superficie continens, meatuumque paucitate & angustia tam insigne ut quamlibet aliam substantiam vel minimam porosam, facile vincat.

I.

*Fundamentum investigandi, naturam propriam, quæ a priori.*

II.  
*Ejusdem originis deductio s. ascensio in fodi-  
nas expla-  
natio.*

In visceribus crustæ exterioris Terræ, venæ quædam scrutationi Fossorum se offerunt, quæ substantiâ Metallicâ plenæ lucentes hic aut illic & flavescentes guttas promicant.

In consideratione Philosophica conceptus ac nativitatis Terræ notum est qua lege & methodo Media Regio, quam in Schemate Philosophi PP. p. 4. §. 4. literâ M. designatam invenies, secundum se totam occupata sit à valdè opaco & denso corpore, ut quod initium constitutionis suæ duxit ex particulis illis minutissimis sibi invicem arctissime junctis, quæ prius partem faciebant in illis ramentis, quæ licet reliquis minùs divisa & celeriter agitata essent, pertinebant tamen ad minutias primi elementi ex angulis particularum secundi detritas; cùm autem constet materiam primi elementi in centro Terræ congregatam similes adhuc, quàm cum sidus lucidum esset, circumgyrationes absolvere, simul innumeras ejus minutias necesse est tendere secundum lineas rectas, & sic à medio resilire, ut in hoc suo versus spheræ circumferentiam abreptu non pauca ramentorum vix adèò firmiter aliis innoxorum secum moveat & abducat, ac tum in tertiæ regionis crustam internam deferendo fortius ejus ope partes illius quibusdam in locis, quàm in aliis commovere, accedente etiam agitatione caloris à radiis solis excitati; quò fit ut hujus terræ interioris omnes propemodum partes in perpetua concussione positæ plùs vel minus statu dejiciantur, & viam cursumque tenentes materiæ excurrentis ad extimæ usque crustæ conceptacula pertingant, atque in iis cum terrestrioribus & mole majusculis particulis diversimodè concrecentes lineas sui ductus varias relinquant, speciemque interstinctuum, qui venarum metallicarum nomen accèpère, nobis exhibeant.

III.  
*Potissimè in imis montium invenitur.*

Radices Montium, maximè qui sunt in situ versus orientem aut se se obvertunt tractui meridiano, matrices auri, ut & aliorum metallorum suppeditant.

Quia montes sunt erectiora illa Terræ fragmenta quæ ob suam altitudinem & eminentiam magis incallescunt ex radiis solaribus sunt exposita, quàm frusta mollius incinata, quæ camporum planitiem constituunt, & quæ etiam plures ex irregulari collapsu fatiscencias patiuntur, quæ in hiatus & cavitates degenerarunt; ideò aptissima loca præbent, in quibus metallorum particulæ congregari possint; quippè calore facilius communicato succorum

vapores, qui totidem vehiculorum vicem præstant, non nisi eò auxilium conferunt; plus enim agitati attolluntur & impedimentis onerum metallicorum exuti, ea in præfatis specubus relinquunt; adjungimus autem partes ad Ortum vel Austrum spectantes tanquam his dotibus illustriores; fortiore agitatione, cui vim suam directior solis pressio, impendit per se eò ducente & proximam rei causam palàm faciente.

Aurum plerumque lapidi adhærescit coloris cinerei vel subnigri, Galenæ non dissimili, quem Græci Syritem, Arabes Marcassitam dixere: aliquando silicibus vel durissimis saxis foliatim sociatur: purum quoque interdum reperitur in fibris saxorum.

Singularis naturæ providentia est ea Terræ, quasi communis Parentis feracitas, quæ genera fossilium etiam in iisdem fodinibus ut indole discrepantia, ita diversis hominum usibus deputata, eruuntur, varietati autem ejusdem & industriæ humanæ in officio admirandi & celebrandi Opificis summi excitandæ consultum est in eo, quod etiam ejusdem speciei multiplex productio experientia vix aliter se prodatur; quàm in arborum fructibus jucunditas discriminis occurrit: Ordinis pororum mutatio & aliæ viæ ad materiæ alimentaris aliò modò in his quàm in illis plantis transiessionem abundè hic intellectui satisfacit, quò elaborationis principia deprehendit; neque hic minus sibi deest diversa succorum in spatiis collectionis fortuna ad patefaciendam causam, quæ aliam atque aliam auri formationem in meatibus terræ profeminat; cum enim ad metalli hujus nostri corpuscula ex terra interiori ad exteriorem evehenda argenti vivi particula disjunctim à se mutuo agitata & in altum propulsa potiori ratione inserviant, hæ ad superficiem hanc appellentes prout pressiori aut ampliori hospicio concedunt minutias, quibus secum ducendis operam locabant; fortiuntur quoque novam ac novam concrecentiæ speciem; adeo ut credere proclive sit, cum hi argenti vivi vapores terræ cuniculos perreptando particulas auri sibi associatas in intervallis lapidum deponere coguntur, tum eveniat ut fila auri tam permixtim & contextim cum grumis lapideis inveniuntur, ut non nisi validi ignis potentia & arte inde eliciantur; hoc idem autem metallum nostrum latera saxea lambere & instar laminæ oblongatæ & dilatatæ tegere intelligitur, dum factò quodam

#### IV.

*Quibus modis jaceat in statu naturali.*

dam inter progressus asperitates liberò interstitiò, accidit ut volitantes cum suis bajulis auri atomi, quibusdam perpendiculariter hærentibus aliæ superiores sibi relictae directè reverterentur, seque iis ob figuræ analogiam aliæ post alias tali situ adjungerent, ut adhærescentibus interea aliis ad partes inferiores & divergentiam orbiculi, chartæ anomalæ speciem effingerent vel quoddam folii rudimentum mentirentur. Denique cum propemodum enormis quæpiam cavitas sic agmen particularum aurearum concludit, ut interim quasi fornacis vicem sustinens probè præparationis & sequestrationis munia peragat, in massam auri incidimus ab omni heterogeneitate salvam & integram.

VI  
-or indly  
in usus  
-am  
dat

V.  
*Semina Auri  
in quibus-  
dam fluviiis  
colliguntur.*

Tagus in Tarraconensi Hispaniarum Provincia, Pactolus Lydia, Ganges veteris Indiæ famigerata sunt in recensionibus Historicorum flumina non tantum quod argenti & aliorum fossilium ignobiliorum; verum quod etiam multas gemmarum aurique particulas continent, quibus colligendis passim ab accolis liberè indulgetur.

Non una sunt, quæ nominari possunt mercium genera, quæ in Regione, cujus beneficium nec ferendis, nec metendis illis quicquam contribuit, emuntur tamen & venduntur; loco enim natali relicto alienum solum per diligentiam negotiationis saluant. Non aliter existimandum est contingere, cum aquæ fluminum nostrorum arenis preciosis turgescentes pulvisculos fossilis primarii in nostras delicias gratificentur; neque enim sunt, quæ pro loco generationis suæ aquas agnoscant; quoniam tam inepta est substantia illa materiæ particularum flexibilium & lubricarum creandis & constituendis auri minutiis, ut ejus cum terrestri corpore commixtio & concretio, non componat, nisi quod lutosum quoddam humorum coagulum repræsentat; cogitandum itaque de ramentorum auri erosionem, quam secretus aquarum per radices & cavitates montium lapsus instituit, hinc Montes peculiates assignantur singulorum istorum fluminum origini Orespeda Tago, Scythicus Gangeti, Tmolus Pactolo, speciales nempe rimulæ in iis latent inter lapidum semine auri imprægnatorum ductus & fissuras, quibus alluens torrentis aquæ præterfluxus, aliquid sic detrahere & suffarari potest, ut declivitate loci vel aliis de causis ad cursum sui floris determinata & impulsu graha deferat, quibus alveorum & riparum tractas tanquam insignibus thesauris ditetur & imbuatur.

VI. Au-



Aurum artificioso examine probatur, ab argento & aliis, quæ imperfecta dicuntur metallis non unô modô fecernitur, venæ metallicæ eô factæ, torrentur, eleuntur, lixivius macerantur, figuntur, liquantur, & aliis atque aliis metallariorum, Docimastarum, Aurificum & Chynicorum magisteriis ad usus elegantiam excoquantur.

Primorum duorum praxis est in Urina vel calcis & cinerum clavellatorum lixivio venam diu fatigare, aut contusam aquâ forti perfundere, ut metalli involucra detergantur atque ipsius substantia ante recondita & quasi oppressa appareat: Alii, fornaces struunt, furnos oblongos adornant ex optimis lapidibus compactos, in tres veluti cameras distributos &c. & improbo atrinque labore & summo ignis acens moderamine urentes naturæ dores & munera aucupantur, plumbi, nitri, sulphuris vel antimoni admimiculô massam subigunt, nulli etiam curæ & squalido sudori pareunt, quò sulphure, arsenico & cadmiâ, quæ luterum metalli quæsitî deprædari solent, liberent: Sunt qui ferri squamas adhibent: ut fervore aucto fugacia arceant, sed vix dissimiliter fusionem promovet, cum partes indagatas, compedibus quasi injectis retinet. Vena combustibili sulphure spoliata interdum plumbo fuso sensim imponitur & scoriis extractis plumbum auro vel argento satis ditescit; tùm semel atque iterùm aliquantula nitri quantitate immissa sulphur inutile plus distillatur, sic plumbum cupellæ ex cineribus confectæ imponitur, cujus meatibus occupatis aurum & argentum sola remanent: Resertur etiam non deesse, qui aliquantulum venæ contusæ cum multo vitro Veneto vel alio fusili liquant; Vitrum enim colore metalli delitescens iambuitur, quod si effusum viridem exprimat colorem vena caprô fertatur, si rubro vel caruleo colore tingatur argentum vel aurum nostram vena continet. Verùm hæc attingere sufficiat; Neque enim nos hoc locô artifices; sed Philosophos agere visum est, & hæc magis adeos, quàm horum pensum videntur pertinere & revocanda esse; atque palam omnibus est hæc plus usu & exercitatione quàm præceptis cognosci; Nec tanta in his rebus obscuritas est, ut earum intimæ rationes scrutatoris intellectui, si modò aspexerit, non facile cedant; at hæc res tantas, nisi oculis monstratas, poterit accuratè percipere. In univèrsam de toto hoc præparationis negotio tenendum, eam non perfici nisi ope & viribus caloris vel

VI.

*Præparatio  
Auri quibus  
artibus  
& requisitis  
perficiatur  
& quorum  
spartam p-  
corne.*

*Præparatio  
Auri quibus  
artibus  
& requisitis  
perficiatur  
& quorum  
spartam p-  
corne.*

*Præparatio  
Auri quibus  
artibus  
& requisitis  
perficiatur  
& quorum  
spartam p-  
corne.*

IV

misturarum collisione partium notabilium; hæc quippè media præstant pro diversa applicatione, ut resolutis vinculis, quæ sunt congenera unà coëant & suam cognationem complexu firmo tueantur, quæ diversam nacta sunt naturam in secretionibus recrementorum scobes seu scorias constituent.

VII

*Præter illius  
pertinæ vim  
est aurum  
conficere ex  
eo quod na-  
tura aliud  
constituit.*

Alchymistarum auctoritas est, quæ hoc mysterium persuadere laborat: Formam ab auro extractam aliud imperfectius metallum plumbum, ferrum vel hydrargyrum perficere, & industriâ artificis exaltata formæ seminis & effectricis causæ obire munia, rudem videlicet materiam informando, foetum aureum parturire; atque instar grani tritici sese felici prole multiplicare.

Audimus hic mira magis somniis delirantium, quam Philosophorum ratione utentium judiciis similia. Quid enim, nisi speciosa vanitas est, aurum formâ suâ exui? eam sic abstractam muniis talis & talis causæ fungi? supponunt hæc portentosam illam Scholasticorum opinionem, quæ erexit thronum formarum substantialium, Entium merè fictitiorum, & ignorantiaæ asyloꝝ. Sed quotusquisque est, quem fugiat, nulla artè vel incantatione, tametsi rem destruere, quam gignere facilius videatur, aurum posse corrumpi. Sic jam forma avulsa confervatur, citrà materiam suam subsistit & miraculosè, quippè modo in explicabili, sudat & operatur. Abslona hæc sunt & suis inventoribus digna: nobis constat ut suprà captum & fidem, ità impossibile esse; illam auri formam, quam animam illius vocant, momento temporis, tantam puritatem, tantas vires in vasis vitreis adipisci, ut in instanti illo colorem, pondus, substantiæ firmitatem plumbo liquato impertiat. Clavus ille celebris in magni Hetruriæ Ducis Cimeliarchia asservatus, eâ parte, quâ à quopiam in liquorem sibi notum immerfus, in verum aurum conversus creditur, imposturæ callidi Artificis debetur, quâ auri partem cum altera ferrea, colorem ferri auro impertiendo, tam apprimè adaptare potuit, ut tota clavi substantia ferri existimaretur; cùm autem ignis & olei, in quo aliquamdiù clavum detinuit, beneficiô adulterata specie denudaret, pars antè occultata veri auri qualitates exhibuit. Fundamentum autem illud inconcussum, quò nixi, in hanc fucatam conficiendi auri potentiam consentire vetamur, est quod considerem non-  
dum

dùm eò rerum naturalium cognitionem esse provectam, ut probè teneatur, & per certas evidentefque consequentias ex ipsis rerum principiis compertum habeatur; cujus magnitudinis & figuræ exactè esse debeant particulæ, quas ad verum aurum constituendum oportet concurrere, imò licet non ignoremus qualia corpusculorum genera massam auri in natura constituent, rationi tamen hoc non sensui deferendum est, & manifestum est nos sensibili tractatione ad hoc opus indigere, quæ cum impotens sit ad species rerum permutandas, & non assequatur facultatem introducendi particulis visibilibus eam subtilitatem & figuram, quæ soli intellectui patet, certissimum est penes crassa artis exercitia situm non esse, neçtere ità discriminata toto genere individua, ut unum alterius essentiam, suâ depositâ & perditâ, induat, hoc est ut metallum qualecunque ignobile nostri, quod præ manibus habemus, dignitate & sublimitate honoretur.

Est species quædam Piscis Marini que *Vmbra* nomen inde accepisse putatur, quod celerrimo motu, velut umbra, fugiat, in cujus ventriculo & intestinis obryzum inveniri non nullorum curiositatis Diaria referunt.

Videtur hoc fortè superare eorum fidem, qui naturæ ambiguitates, nisi evidentiæ testimonium proprii sensus adferant, averfanti animo audiunt; verùm si hoc solum unicum consideremus, piscem hunc *Vmbra* dictum, terrâ, aquâ, limô & cum arena, auri laminis vesci, facilè credemus auri filamina sic in ejus visceribus intemerata remanere; ut occasione secretionis ab aliis, potita, omnem alienam materiam, in poris, quos casu perlabuntur, deponant, & in obveniente aliquo receptaculo in modum lapidis Bezoar, vel alterius cujusvis in corpore animalis calculi, colligantur. & despumati auri glebulam, nuclei vel mespili magnitudine repræsentatam, offerant; utique tam manifestè hæc explicandi ratio intellectui se commendat, ut neutiquàm eò ferar, ut existimem iis hoc accensendum esse, qui placent sibi de Gryphibus, eorumque actuali in rerum natura existentia, verba ad credendum impellentia suscipere, narrantes eos auri custodes esse, & nidorum suorum compositionem ex ejus segminibus adornare.

Commiscuntur etiam quidam ex Thraonicis Chymi-

#### VIII.

*In umbra  
Pisce quomodo  
aurum  
reperiatur.*

#### IX.

*An in liquorem potabilem abire unquam possit.*

corum & Circulatoribus qui per fascinationem quancunque ipsi inopes lucranda pecunia inhiant, se propinare aurum vere potabile redditum ad multorum morborum malis occurrendum.

Acriter antiquorum Scholam hac disputatione: an duo durissima metalla aurum & argentum ita attenuari & emolliiri possint, ut corporis fluidi propriam rationem & statum acquirant? ætuisse novimus. Sanè quod ad Aurum nostrum attinet, si processus eorum hominum qui se hoc artificium non parvum, facturos spondent, examinentur, apparet meras esse fallacias, dicunt se parare menstruum, illudque tamdiu cum ☉ hoc est auro digerere donec aurei coloris factum, evadat quoque aurum potabile; atque hoc & nihil aliud præstantes audent illud pro auro potabili venditare; sed cum sapientiorum æquè ac accuratiorum experimento nobis constet, integrum aurum in eo negotio mansisse, nec sui vel tantillum amisisse ut in ita de novo auri in fundo relictæ extractione vel minimum ad observatam prius ingesti quantitatem desideretur, pro certo asseverandum patet, nihil auri in liquorem penetrasse; potest quidem illud (ut deinceps videbimus) non adeo difficulter corrodì; sed quid hoc ad rem facit? cum sub eadem forma assumi nequeat: interim si subsistant in ea ratione aurum potulentum reddendi, ut illò, in liquore, suspensò, illud rursus inde præcipitari possit, non est quod artificii gloriam ipsis invidiamus.

*Aurum non carere usu in Medicina.*

Tametsi aurum hoc aut illò modò haustum vel insumptum eodem pondere egeratur, non destitui tamen vi statum corporis nostri vegetiorem promovendi; imò & nonnunquam certis morbis remedium præbendi pro persuaso habendum putato & hic etiam Recentiorum quibusdam, quorum eruditione cæteroquin æstimo, non possum, quin cum aliis, altioris reverà indagationis, contradicendum statuam.

Medicorum aliqui sunt, qui laminas, aurique segmenta carnibus elixis admisceri jubent ad vires spiritusque vitales stabilizandos: alii verò etiam non pauci inveniuntur, qui pro decreto habent: si qui ex venereo foedoque contactu labem conceperunt, ac contagione inguinum infecti sunt ejus usu manifestè sublevari, per eam quoque Elephantiasim expurgari, aut

saltem mitigari, dentes labantes firmari, cor confortari, oris  
ulcera ac pustulas compesci, virus elui atque exsiccari. Deni-  
que hæc omnia utrinque quibusdam existimantur nullò modò  
veris accensenda, hoc solò propemodùm freti argumento,  
quod considerent vim medicamenti in eo consistere, quod par-  
ticulæ, in quas medicamentum resolvitur, corpori se insinuent,  
& humores noxios expellant, aut affecta membra expressio  
succò foveant ac corroborent; ac inquirunt, quomodò hæc ab  
auro præstantur, si nullas partes suppeditet, & semper in vio-  
latum per corpus deferatur? quotidie, addunt, experientia do-  
cet bracteolas illas, quibus pilulas suas Pharmacopæi contegunt  
per ventriculum & viscera intacta transire & cum sæcibus emitti;  
illæ nihilominus tenuissimæ sunt, & quæ faciliè detererentur, si  
calore naturali minui possent & digeri. In his est præsidium, quò  
opinionem suam tuentur; sed profectò suam hic incircumspe-  
ctionem in eo mihi, qui iis nituntur, notatam reliquisse vi-  
dentur, quod quamvis ex suis principiis, quæ ut quam maxi-  
mè veritati consona nobiscum amplectuntur, directè sequi pos-  
sit horum explicatio, ad ejus tamen modum alium quam qui  
est in communicatione particularum mediæ, non attenderunt;  
cùm si rem propriùs perpendamus, & curiosiùs qui hoc pera-  
gi posset, quæramus, non coactè occurrere potest: Cardiacis  
quibusdam auri auxilium planè analogum esse; cùm etiamsi pro-  
priâ substantiâ in corporis bonum non cedat, ut vel spirituum  
copiam per sese augeat, vel in nutritionem aut sanguinem  
aptiorem reddendum convertatur, dicere tamen rationi con-  
sentaneum sit, ejus substantiam talibus poris gaudere, ut ma-  
teria ætheria, quæ illis trajiciendis assiduo se impendit nostræ  
naturali, quæ universum corpus nostrum pervadit, quæque  
per ingressum alterius peregrini succi vel humoris minui & la-  
befactari incipiebat, sit admodùm amica, quæ in justa & no-  
stræ valetudini conservandæ aut restituendæ proportionata quan-  
titate multiplicata, tum corporis vires majores experiamur,  
tum depulsionem mixturæ sanguinis & humorum, quæ præ-  
sentissima malorum in corpore nostro procreatrix erat. Quæ  
plurimis fulciri possent, nisi cancellos instituti præ me fer-  
rem.

Nullum eorum, quæ hæcenus ad cognitionem hominis per-

*Unde soliditas auri pendens.*

venere, corporum nominari potest, quòd ejusdem magnitudinis & figuræ magis aut æquè ac aurum sit solidum.

Per soliditatem non aliud est quod intelligimus, quàm materiæ propriæ quæ hic est tertii elementi, quantitatem, ex qua corporis, quod solidum vocamus, partes componuntur, cum ejus superficie & mole comparatam, quò ipsò clarè statim innuitur & tantùm non perfectè explicatur cur auro plùs quam ulli alii substantiæ extensæ speciei soliditatis competat & tribuatur; videlicet quia copia materiæ tertii elementi, quæ ad ejus essentiam constituendam à natura destinata est, longè amplius in eo respectu suæ molis & superficiæ contineatur, quàm in alio quolibet servante eandem magnitudinem & terminationis in extensione modum. Hinc majoris etiam agitationis est capax, & majorem vim ad perseverandum in suo motu retinet, ut si supponamus ex una parte globulum auri, ex altera globulum ligni ejusdem molis & figuræ facta ipsis utrisque æqualis celeritatis impressione diutius in ea persistet sphaerula massæ aureæ; q. quantò protractius statum hunc progressionis suæ tuebatur tantò solidior est, hoc est cum ejus pori sint angusti & pauciores, minus materiæ subtilis intervallis partium ejus insinuatur; atque adèd aër plurium particularum tertii elementi impetum resistentia suá debet retardando impedire.

XI.

*Palma ejus ponderositas cum proportione ad terram vel plumbum.*

Ponderosissimum est aurum omnium corporum, adèd ut nullum sit tantæ molis, in quo ac in ipso tantundem experiamur gravitatis, secundùm libras Parisinas pes ejus cubicus pendit libras 1368. cum pes tantus terræ non nisi 72. & plumbi 828. prout Tabellæ solertiorum exhibent.

Cùm corpora in compositione discrepent & alia sint aliis quoad partes suas, quibus constantur, compactiora seu plùs materiæ homogenæ in sese habentia, & subtilioribus meatibus, qui non nisi tenuissimæ materiæ primi elementi sunt pervii & paucis secundi globulis, adornentur; eadem ratione alia aliis tantò sunt graviora seu inæqualiter ponderosa; cum verò ostensum sit proximè auro inter alia hanc soliditatis & partium compactionis gloriam convenire, spontaneum est ejusdem esse primarietatem in ponderis excessu: Quippè fabrica ejus intima tanta fibrillarum suarum coarctatione consummata, hoc facit ut, cum ex assidua terræ circà axem suum circumgyratione

materia cœlestis à centro recedere conetur & recedat, & ea, quæ sibi, utpotè ad motum talem ineptiora, in via obstaculo sunt versùs medium deprimat, quod necesse est tantò vehementius agere, quantò corpus, cui occurrendo incumbit constrictius est, ejus pressioni sit maximè omnium exposita, & sic excellentissimum quoque corpus in suo versùs terræ superficiem descensu vincat; cùm enim minimùm materiæ subtilissimæ ob minimè patentes poros, in se contineat, nihil fere in eo erit, quod ascensum adipiscatur, plurimùm verò, quod experiatur actionem globulorum cœlestium; & locò illis relicto, illorum propulsioni obsequatur. Sic in nostro casu, si sumatur libra B æqualium brachiorum, quæ fulcrimentum habeat in puncto fixo C applicato unius brachii extremitati corpore auri E pedis cubici, altera extremitas oneretur plumbo dictæ quantitatis, experientia docebit radium CA descensurum versùs G attollendo alterum CB versùs F notata proportione, quod nobis manifestum indicium est aurum & plumbum non habere particulas, quæ præditæ sint æqualibus poris, neque eas esse ejusdem configurationis, sed diversum inter se situm & nexum obtinere, nimirum particulas auri intervallis meatuum gaudere minoribus & paucioribus, easque inter se esse copulatiores, & sic dispositione differre, ut materiæ subtilis transitui tanto magis sint impedimento, quantò elevationem alterius librilis promovent, eò ipsò enim in se impingentes particule hujus materiæ deorsùm trudentur & majorem pressionem patientes necessariò descendent. Quibus puto satis intelligibiliter propositum esse quare aurum nostrum præponderet, & reliquis corporibus gravius sit; neque enim præter dictam pressionem ullam in corporibus gravitatem agnosco.

Videmus aurum singulari colore à natura donatum; flavum enim se exhibet & bullata quadam palliditate omnes sensibiles suas minutias repræsentat.

Novimus memoriæ proditum esse: Socraticum quendam olim interrogatum: Cur aurum palleat? respondisse: id palleare, quod semper timeat, eò quod plurimos passim habeat insidiatores: quod utut ad facetias ingeniosas non insulsè retuleris; de vera tamen ratione Physica, nihil te ex eo edoceri, facile, nisi fallor, concesseris. Pro ea itaque cogitandum est:

XIII.

*De causa coloris auri.*

naturam colorum in universum, qui pinguntur in superficiebus objectorum in eo consistere, quod particulae materiae subtilis actionem luminis transmittentes diversimodè à majori aut minori corporum asperitate vel levitate recipiuntur; fortiunturque validiores aut remissiores in reflectionum modis agitationes; ut adèò vel impetus rotationis globulorum, qui radios constituunt, superet motum, quò secundùm lineam rectam moventur vel contrà. Sic quia grumi, qui resultant ex congerie immediata partium auri sunt tantæ scabritiei & soliditatis, ut luminis reverberationem minus in gyrum actam pariant, quàm rubicundum & magis alteratam quàm candidum, fit ut ejus superficies flavo colore tincta appareat; est enim flavus color ex candido & rubro, quasi conflatus & medius inter eos positus; quod satis patet, si liquorem album rubro vel è contra misceas; exurget enim aspectus flavedinis. Hic ille color flavus est, qui in arborum foliis & fructibus, dùm ad maturitatem pervenère, visui se offert, quod non leve argumentum præbere videtur, succo in illis probè tum jam percolato, concocto, simile in auro, viscerum terræ depuratissimo fructu, inveniri, id quod, adhibito microscopii usu, quoad orbes & sphaerulas assurgentes, quæ magna interstitia inter se relinquentes, non parvam luminis reflexioni varietatem adferunt, confirmari potest.

XIV. Sicut nulla arte & ratione potulenti liquoris condiciones auro conciliari posse antea visum est; sic id ipsum est, cujus nequit etiam tinctura ullò modò elici.

*Nulla corpora ejus colore tingi possunt.*

Attendentes ad claram & distinctam notionem extractionis tincturae causa hujus phaenomeni in patenti ponitur; ea igitur quandoquidem nihil aliud nobis observari faciat, quàm ministeriò certorum liquorum particulas alicujus corporis ita imminuere vel ita imminutas elicere, quæ ejus evadant levitatis ac sunt particulae ipsius liquoris, & quæ adèò in eo fluore suspensæ manentes eodem planè motu cum ejus particulis circumvolvi possint; neque partes auri nostri, utpotè firmissima cohaesione inter se plexum tenentes ad dictas imminutionis leges revocari possint, manifestum satis est, quare cujus libet ignobilitatem suæ flavedinis communione in decentioris speciei gloriam pingere recuset.

XV. Experimur Aurum non adèò ægrè se tractationis nostræ varie-



tati submittere, ut non paulò promptius & minori negotio cate-  
ris metallis secari & flecti possit.

*Cur aurum  
satis facile  
dividatur.*

Quid illud sit, ex quo hujus ratio petenda est, non difficile  
etiam est advertere, si tantùm perpendamus illam interruptionis  
peculiaritatem, quæ inter partes ejus reperitur; ea enim in suf-  
ficien- ti causa & præcipua est, cur secantium instrumentorum aciei  
faciliorem tantillò transitum præbeat, & plus solutionem ejus  
machinantis imperio, quàm si ea deesset, auscultet; consistit ea  
in eo; quod dividendis mediis extremitate tenui adactâ, quæ pre-  
mitur pars in profundum cedere possit, collateralibus hinc indè  
ob fibrarum tenuitatem & delicatam quandam flexilitatem obse-  
quentibus, cultelloquè, qui ad scindendum adhibetur, locum  
præbentibus.

Illi metallorum, quod ferrum vocitamus, in supremo gradu  
duritiem competere eò satis ostenditur, quod nullum sit quod  
tam difficulter fundatur, aut cui, intentiori igne, ut lique-  
scat, opus sit; aurum verò nostrum ignis vehementiæ non ita pervica-  
citer resistit, sed certo ejus regimine mox in liquidum fluidum-  
que corpus transmutatur.

XVI.  
*Cur mollius  
sit ferrum.*

Ex modo, quò illud generari suprâ descripsimus, facile col-  
ligitur; præter minimos particularum ejus poros, majuscula e-  
tiam nonnulla intervalla reperiri, per quæ, globulis secundi e-  
lementi expulsi, quædam ignis particulæ notabiliorem quanti-  
tatem & validiorem agitandi vim habentes, illabuntur, & qui-  
dem minori labore, quàm per meatus ferri ramentorum sibi invi-  
cem pertinacius insculptorum, undè fit, ut ejus partes in guttu-  
las aut grumulos quosdam sic pervadentis materiæ impetu distin-  
guantur, ut ejus motu irrequieto concutiantur, illique innatan-  
tes disjunctim quodammodò agitentur h. e. unaquæque indepen-  
denter à vicinis & seorsim, in quantum hoc nexus, qui adhuc  
utcumque retinetur, permittit; atque hoc pacto ità se hinc indè  
contorquent, ut unis se aliis applicantibus & implicantibus, cin-  
genti materiæ igneæ non nihil morem gerant, & ad consumma-  
tam proximè accedant separationem.

In ignè hoc esse in auro, quod adeò nulla sit in ipsum ignis  
omnia ferè consumentis potentia, ut etiam post multa secula  
fornace exagitatum, exploretur, nullam sensibilem jactu-  
ram patiatur, nec quicquam de suo pondere aut molè amittat.

XVII.  
*Si vel cen-  
ties Clibano  
immitatur,  
ne hilum  
substantiæ  
deperdit.*

In

In promptu ejus causa est quod nempe nulla tanta cremandi ferocia adhiberi possit, quæ intimo nexu firmatam ejus partium cohesionem sic turbet, ut earum fibrillæ vel grumuli à se invicem penitus dirempti, ignis vi exhalari possint; solvuntur quidem aut laxantur potius ejus particulæ nimii caloris vehementiâ fatigatæ in tantum, ut a fluido corpore non abluant; nequaquam tamen se usque æstui permittunt, ut ab ejus particulis avolantibus arreptæ cum illis in auras evanescant, dum modò res sit cum perfectissimo purissimoque, qualè obryzum est, cujus generis per ramenta in fluminibus deferitur, non tantùm iis, quorum in præcedentibus mentio facta est; sed etiam in Hebro Thraciæ, Pado Italiæ & quod nostræ notitiæ propius est Ompoly & Aranyas Transylvaniæ.

XVII.

*Vas aliquod plus capit de eo, quàm de pumice.*

Qui sensibus philosophantur, putant cum vulgo: Vas quoddam suam capacitatem aurò absolvens amplius continere materiæ extensæ, quàm cum aqua vel pumice plenum est; cum auri tantùm plus, non verò substantiæ corporeæ capere dici possit.

Particulas in meatibus corporum terrestrium ex materia subtili constantes plurimorum & ut ita dicam intricatorum in natura sophismatum principia esse negaverit nemo, qui ritè examinat, quomodò eæ in unoquoque corpore quiddam singulare in copia vel figura habere possint, quò differant à reliquis quibuslibet, quæ aliis corporibus peculiare sunt: Sic etiam pororum in corporibus cavitates, quæ illorum amplitudinem aut angustiam insigni discrimine variat, causas esse solutionis non paucarum quæstionum physicarum non refragabitur, nisi qui cum evidenti ratione pugnare volupè sibi ducit; hæ ipsæ enim sunt, quæ etiam in præsentia, quem sumpsimus casu, inquisitionem facilè expediunt; positò siquidem quod pumicis substantia, sicut reverà res vel ad oculum patet, longè distensioribus scateat hiatibus, & vicissim quod particulæ metalli hujus perfecti ita strictim se osculentur, ut non nisi minutissima in earum contiguitatibus intervalla locum habeant, perspicuum est illic spatiola ab aère, qui inter poros ejus vagatur & plenitudinem finit, occupari, quæ hic solidis particularum ramentis opplentur.

XIX.

*In obstructionibus alvi quanti sit panderis.*

Potest nonnunquam contingere ut obstructio alvi sit tam obstinata v. c. in morbis ardentibus, ubi omne ferè humidum exsiccatum est, ut nullis remediis usitatis cedat, & nequidem ipsis cly-

ste-

steribus vel aliis purgantibus poros relaxantibus, quamvis satis maturè & commodè in usum vocentur, tolli queat; quo in periculo successu non caruisse globulam auri assumptum scriptis- testatum reliquere non infimi Medicorum. Hoc absurditatem implicare, adeòque impossibile esse Philosophia nostra non cen- set; potest enim massa auri eas sibi in intestinis sua gravitate vias parare, fecum consistentiis locò situque deturbatis, per quarum ductus facta cavitare, sequatur etiam constipatorum, liberior evasio.

In Metallis, quod ductilia sint, non ignobile est, & hoc quo- que in auro præ cæteris est conspicuum, ejus enim unicum gra- num in filà diductum quadringentis pedibus coextendi potest; at- que adeò uncia unica pedibus ducentis tricies mille & quadrin- gentis; adeò ut si in bracteas diducatur decem jugera cooperire posse, quidam sunt qui referant.

Hujus tantæ diffusionis causà in summam ejus compactionem referri solet, & partium, quibus constat, tenuitatem, nec non intimum earum nexum. Nec sanè explicandi alia ratio facilè oc- currit; quomodò enim incomparabilis illa divisio dilatatioque pe- ragi possit; nisi singularis illa mollities, partiumque ejus plexus efficeret, ut partes citra separationem mallei, alteriusve alicu- jus instrumenti attenuationi, cedant, & quæ antè duram hanc tribulationem, compactæ & sibi invicem arctissimè implicatæ e- rant, in longum protrahantur; imò etiam, quæ sibi mutuo se- cundùm superficiem incumbebant, dum pressionis impensio ductui subjiciuntur ad latera in se invicem, salva partium cohæsione, defluant, & latitudinis, decrescendo profunditate, incredibili- lem illam productionem acquirant, novaque sitûs occupatione, admirationem pascant. Non absimile prorsus phænomenon in argilla & pingui terra experiri licet, ubi quaquam minùs, extensio- nis tamen amplitudinem ex laxa partium mollitie conspicari da- tur, accedente etiam densitate & soliditatis concursu, quæ co- piam subministrat, per quam materia in figuræ capacitatem, re- dundet & excreseat.

Tritum est, & vix quicquam vel apud initia Alchymix pro- fessos vulgariùs vi aquæ fortis ex nitro ut vitriolo confectæ Au- ri arcem expugnari, ejusque copiarum spiculis hujus partium ne- xum distrahi.

## XX.

*Examinatû  
ratio ducti-  
litatis auri.*

## XXI.

*Quomodò  
aurum aquâ  
regiâ dissol-  
vatur.*

Inter ea, quæ supra nos in aëre generationem exigunt, genus fulminis novimus, cujus compositionem quoniam exhalationes ad igneam concipiendam idoneæ absolvunt, eæ cum satis multæ omnes in unum coeunt, in terram ruentes incenduntur, interdum hominum corpora non lædendo, ipsorum vestimenta comburunt, aliquando ossa, carnibus integris, confringunt, vel etiam vaginâ illæsa gladium liquefaciunt. Tam stupendorum effectuum causæ, ex parte variæ corporum, quibus occurrunt, contexturæ debentur; quamvis negatum nolimus primariam rationem in particulis exhalationum inveniri; eæ enim cum sulphuræ sunt, & ut plurimum non nisi oleorum naturam participantes, levioris tantum flammæ lambitione nocent; & quidem corporibus facile ustilibus; cum verò sunt adeò subtiles & penetrantes, ut solam salis volatilis naturam habeant, tum sine injuria cedentia corpora perlabentes, quicquid resistit, comminuunt ac diffingunt. Sed quorsum hæc? Nempe non aliter in negotio aquæ hujus fortis in suo cum auri nostri partibus conflictu cogitandum est; partes enim salis vitriolo & nitro admixtæ, erectæ & telorum instar vibratæ auri penetralia pervadunt, poros ingrediuntur, & quoniam ipsum firmissima fibrillarum suarum cohesione, quam de eo jam demonstravimus, multum ejus conatui resistentiæ adferunt, tantò vehementius impressionem suam omnes liquoris hujus particulæ intendunt; donec auri plexu victas manus porrigente, ejus ramentorum moleculas disjectas circa se passim instituant; diversum verò longè est quod experimur quando corpus ceræ ejus impetui objicitur; flexilibus enim & mollibus ejus partibus undiquaque cedentibus, vix quicquam est, quod in illud, agere deprehendamus.

XXII.  
*Difficulta,  
qua hic mo-  
veri possit  
solvisur.*

In hoc experimento si illud ipsum, adversus ea, quæ superius notata sunt, difficultate militare cuiusdam videatur, quod in granis auri deprehenditur, quæ cum pari fortis aut regalis aquæ quantitate comparata, ponderosiora sunt, in ea nihilominus potest dissolutionem natate & sustentari observantur, is nubeculæ huic avertendæ salina corpuscula consideret; perpendendo enim quòd ea per totum intimum hujus aquæ tractum magnâ copiâ diffundatur, & ab imo ad summum usque quodam quasi vinculo suam implicantiam fulciant, intelliget hoc suâ hac cohesione præstare posse, ut metalli hujus granula, quamvis parem aquæ mo-

lem

lem gravitate sua superantia, suspensa teneant. Hujus veritatem sufficienter persuadet ejus curæ adhibitio, quâ prius infusus in hujus fluoris massam olei tartarei guttis, aqua communis admiscetur, invenietur enim illic natatilia quasi auri fragmenta imum appetere, & ad fundum, ruptis salium retinaculis, delabi.

Aurum ignis vehementiâ ad ardorem ejus ascendit, & in statu fusionis constitutum, vel alio quovis modô calore imbutum, fortius non tantum flammâ, à qua agitur, & fervorem suum accipit, urit; sed etiam excellentissimum quodque metallorum in depascendo vincit, & diutius calorem servat.

Accidere hoc ex summa partium auri complicatione nimis quam pronum est rationi credere, cum enim densitas & arcta pingvium grumulorum connectio dilatationis progressum impediat, etiam ingesti ignis corpuscula in ejus complexu quodam modo revincta tenentur, & ne in totum sui juris facta liberè, ut in plerisque combustibilibus, discursent, exitus ad emersionem non sine peculiari aresto, præcluduntur; unde fit, ut tenacius receptas intrâ se ardoris particulas custodiendo, vim suam illis jungant & huc ac illuc per exilientiam non dissipata, unito robore in omnia obvia corpora ita penetrent & atrociter agant, ut momentô illa corripiant, & ejus tyrannis, admotam manum, nullô modô innoxiam relinquat.

Aurum malleô, aliôve modô percussum, obtusum sonum procreat, & instar argenti aëris commotione aurium tympana non immoderatè flagellat.

Tremuli aëris celeritatem sonum acutum efficere & ejusdem tarditatem sono gravi audiendo causam præbere in controversia non est; cum autem aurum ex mollietate in tantum participet, ut in æqualem cum argento tensionem consentire non possit, tam celeriter etiam reciproca vibratione progredi & recurrere, datô quod ad testudinis fides revocetur, non valet; ac proinde aëre quoque ad undulandum minus velociter ita & reditu per ejus tremorem commotô, evenit ut segniùs & leniùs auditorium ipsius concussio pulset; pororum deinde paucitas hic quoque non parùm intervenit; cum enim materia aërea iis contenta soni, corpore concitato, sit vehiculum, valdè manifestum est, ubi eorum amplitudo & copia minor, minorem etiam experiri ad aures delationem minori impertito aëri tremore.

XXIII.

*Aurum ca-  
lesfactum ca-  
teris metal-  
lis acris  
urit.*

XXIV.

*Quomodo so-  
num minus  
acutum edat  
quam argen-  
tum.*

Hæc ratio in ventorum irritò murmure locum habet, qui licet vehementiam flatûs sui persequatur, inepti tamen sunt strepitui creando, qui cum cantûs aut loquelæ varietate, quam ex aëris per laryngem impulsione & collisionis ejus partium modificatione, haurimus, possit comparari.

XXV.

*An ex arborum foliis flavescensibus cum ratione aurum investigetur.*

Non hic repetam, quibus indicîis latentes metallorum, auriq; venæ deprehendi existimentur; in montibus eas esse frequentiores res clamat & antè à nobis positum est; gramina verò solitò tenuiora, pallentia arborum folia, ceruleæ flammæ calidiorè potissimum cœlo hùc & illuc discurrentes totidem habentur delitescens hujus thesauri argumenta.

Succus negligenti manu elaboratus arborum foliis & graminibus virorem conciliat, ut in omnibus ferè nascentibus & crescentibus plantis observare est; accedit verò etiam ubertas humorum, ex quibus minùs subactis & dilutis mixtura eodem colore se pingens exurgit; quod variis & facilibus experimentis imotescere potest; quantum ad ductus & canales seminum aurificorum, notatur quod suprâ eos omnium plantarum & imprimis arborum adnascentium genera non nisi palliditate quâdam occupentur, quod fundamento omni non carere facilè sibi persuadebit, qui in memoriam sibi revocat; præpollentius esse caloris dominium in terræ regionibus metalli feracibus, quàm quæ iis proferendis sunt ineptæ; atque adèò etiam calidum largius & præ humido plantarum meatibus suppeditari in iis locis; quò suppeditatò evenire, non inconvenienter judicatur, ut succus ad frondes delatus eum coctionis fermentationisque gradum adipiscatur, exhalationis qualitate suam insuper ad hoc operam conferente, ut luminis reflexio, quæ flavedini excitandæ sufficit, ab oculis recipiatur. Reliquæ detectionum species plùs superstitionis quàm probabilitatis in se involvere videntur, ut furculus coryli sursum erectus, electrum ejus apici insertum, se, si circumferatur, spontè deprimens &c.

XXVI.

*Cur aurum rubigine nunquam vitia-*

Rubigo non est adversus aurum, quam sentire possunt omnia alia metalla, ut meritò eorum substantiæ deprædatrix & virtutum inimica habeatur.

Corruptio metallorum ex hac rubiginis vitio non aliud est, quàm partium extrâ contexturæ ordinem emotio, orta ab actione validi cujusdam liquoris sulphurei multùm agitati, & du-

rit.

riffimorum quoque corporum poros trajicientis; cum enim ejus particulae sint quasi totidem parvi cunei, in meatus, qui grumos interjacent, se insinuant, & minus nexas partes ad superficiem educendo, ibi ab externo aere sistuntur, & orificia interstitiorum, per quae ea incidendo hoc contagium effluit, occludunt: Quia verò pori illi angustiores sunt in auro nostro, ejusque particulae solidiores & accuratius quam rudia ferri alteriusve metalli ramenta, sociatae, ut vix ceteris corporum vel tenuissimis effluviis in eo aditus pateat, in propatulo est, quâ arte & virtute puritatis suae praesidium inoppugnatum teneat: interim non inutiliter notari potest, eò hic naturam ingenio niti, ut si quid alienum aut si quae sordes se metallo hinc foris adjiciant, ut ei adhærescant, salibus acutissimis vel plumbò liquatò elutio tentanda, cujus ratio ex praemissis obscura non est,

Mercurium aurò maximè affici in confessio est, undè qui ex lue venerea inuncti sunt, si aureum annulum ore gestent, is ex corpore in eum devolvitur.

Attractio in suo schemate nativo actio organica est, spectans ad exequendum animalium appetitum, qua ratione aurum, non est quod dici possit argentum vivum attrahere; sed intrâ angustias meatuum suorum recipit, dum illius rigidæ, figuræque tere-tis & laeves particulae se intrudere parant; quippè illis in corpore commotis fluida earum substantia exhalatur etiam modico calore, & speciem fumi assumendo ascendit, undè fuligini, quæ cum expirationis reciprocatione ex folle pulmonum expellitur admixta sursum ad oris & palati tractum defertur, ubi annulo, utpotè denso & frigidiori corpori occurrens, siltitur, & primùm ejus superficiei adhærendo, mox sociatis viribus in ejus interiora se ingerit, donec una ejus corpuscula, cum aliis atque aliis in compositionem concedens, pristino coagulationis statui se quàm proximè restituit.

Odorem in tenuissimis & siccis corporum, quæ ut odora nobis se exhibent, consistere, ratio persuadet, non quidem quibuslibet; sed disjunctis à se mutuo & in aere, in forma halitus aut vaporum manantium, volitantibus, quæ satis subtiles simul ut satis vividæ sunt, ut cocleofas narium cavitates ingres-sæ tenuissimas sensorii olfactorii fibras, pulsando, titillando, vellicando vel aliis aliquibus modis afficiendo, provocent & ex-

XXVII.

*An annulus aureus attrahat argentum vivum.*

XXVIII.

*Cur aurum nihil oleat & nihil sapiat.*

citent. Ex quo agendi modo facilè intelligitur, quare corpori, quod nunc examinis nostri objectum est, omnis vis odorem procreandi detrahatur; nulla siquidem effluvia, ex compressa auri substantia proliciuntur, quæ sulphure aut sale potissimum contenta, singularitatem motus ex ejus partibus acquirerent, quò ad olfactum delati fragrantia vel horroris causæ fierent. Sic insipidum quoque esse nemo mirabitur, qui considerat ad linguam sapore imbuendam, requiri texturam particularum corporis sapidi ita resolvendam, ut eæ à se mutuò divisæ simul cum saliva in ore misceantur, eique innatantes poros linguæ & partium ei vicinarum eò pacto immeent & pervadant, ut movendis diversimodèque sollicitandis nervorum filamentis sufficiant. Non perspicuum enim illi esse non potest hæc omnia hoc ritu & his legibus in metallorum lectissimi soliditate, partium tenacissimo plexu & puritate à salinis, quæ generalem omnium saporum causam constituunt, desiderari, ac proindè id tam stabili minutiarum suarum connabio consummatum esse, ut nulla ejusmodi corpuscula subministrare possit, quæ humoris operâ, liquefciendo, ad gustum sublimandum serviat.

**XXIX.**

*Calcinatum non calcinato levius non est.*

Stannum calcinatum gravius non calcinato evadit, quod cum in aliis corporibus contrarium experiamur mirum videri possit, proprietatem verò hic quoque singularem in metallo nostro notamus, quod sibi semper simile gravitatem in eadem mole non mutat. Tribuendum hoc etiam esse fonti soliditatis, & firmæ irresolubilique portiuncularum, sive ad incudem tundantur, sive in fila deducantur, seu denique in pulvisculos comminuantur, in se mutuò infertioni, ut nullæ externæ coactiones vel tantillum in iis arctius constringendis possint, tam clarum esse jam hic videtur, ut planè non arbitrer locum esse, quò id explicatius exponere opus habeam.

**XXX.**

*Quomodo an aurum admistum argentum habeat, cognoscatur.*

Secretorum naturæ scrutatores non obscuri, quibus prospectiorem de nobis testatam voluere, lubent inter alia, ut partem argenti aurò remistam certam nobis reddamus, exactissimæ stateræ vel lancis comparisonem, missò in alteram earum aurò in sua specie purissimo & exploratissimo, in altera apponi debet tantundem ex eo, cujus sinceritatem expendere animus est, & cum lances in aëre æquilibres erant, eæ in vase aquæ pleno & sub aquam circiter semipedem immersæ, naturam variabunt & inæ-

qua-



quales evadent; quantitas enim aurò remissa summa petet, & id quod sincerum est ina. Quid sit quod rationem hujus experimenti dilucidè repræsentet verbò dicam; Nimirum quoniam quantò Aurum purius, & omni à se diverso defecatius est, tantò etiam solidius esse debet, contumaciùs necessariò particularum aquæ, quæ sensibiliùs in ipsum agendi facultate pollet, pressioni refragatur, quò gravius pendere, quàm massa altera argenti mixtione temerata, ex superiori deductione liquidò constat, connotatò eò, quod etiam majoris aquæ molis vim sustineat.

Aurum in minutias pulveris resolutum, si igni incendenti committatur, ingenti strepitu aërem, & omnium suppositorum ac obviorem corporum perumpenti penetratione, suam stragem ulciscitur.

XXXI.

*Auri fulminantis operatio.*

Auri fulminantis improbitas non æquè intellectum Philosophi, quàm aures percellit, & imaginationem ejus, qui ejus præparationis ignarus, nihil tale ex parvis ipsius initiis metuit. Quippè præparatio ejus ea est, quæ directè ad tale phenomenon sensibus objiciendum, ratiociniò utentem ducit & determinat; cùm enim ab aqua forti seu regia, coagmentata auri ramenta disjiciuntur, tum oleum tartari ei infunditur, & postquam præcipitatum est, succedit conversio in pulverem, pulvis humoris madiditate liberatus, exsiccatur, ut vel levis calor vi superveniente celerrimè ignem concipiat, ad modum pulveris tormentarii ex sulphure, nitro & carbone confecti; cùm autem omnia pulveris grana simul & eodem temporis momento, admoto aliandè igne inflammantur & dissolvuntur, ea viribus assumptis & ad gyros suos absolvendos majus spacium exigentibus, subitò dissiliunt, & impetum suum per totum aëris vicini tractum dispergendo, occurrentium corporum meatus laxant, & partium plexu solutò, quantum possunt dividunt, quod dum agunt tanto concussu, tantoque spiritu in fragorem erumpunt, ut circumquaque resonantis cœli tonitrua non nihil imitentur & fulminis delapsui non ab similem in impetendo præbeant imaginem. Atque hoc auri nostri fulminantis fragore ejus varietati persequendæ exercitioque nostro more militum sclopetorum exonerationibus discessum à se capientium, valedicendum putavi. Tu L. C. plura de Regii hujus metalli stemmatibus, eorumque exegesibus adjicere cupidus, animi propen-

fito

tionem curiosorum probatis, & certamine experimentorum instituentium, quod pro hic & nunc aliis relinquere nostrarum rerum consilia monent, exple.

F I N I S.

Miscellanæ Artium Subscriptiones

L. C. adjunctæ.

- I. Principium via, quâ ad cognitionem rerum pervenitur, est ad innatas veritates seriosissimè attendere, uni rei, quamdiù probè non perspicitur immorari, nomina rectè intelligere, ideas quasdam veras & generales, ex quibus speciales deducti possunt, memorie mandare, semper à notioribus ad obscuriora procedere.
- II. Ratiocinari est idearum computum inire, addendo vel subtrahendo.
- III. In exiguo vitæ nostræ curriculo innumera sunt, quæ per nosmet ipsos non possumus experiri; hinc Relationes aliorum fide dignæ sunt, quibus nisi satis locupletati, latitudinem scientiæ & perfectionis ejus gradum possibilem, non acquirimus.
- IV. Fabrica veræ propositionis non fit, nisi predicatum eadem penitus res sit cum subjecto.
- V. Convenienter naturæ nostræ operari est liberè agere.
- VI. Rectè assumitur triangulum generari ex sectione conica, si nempe ille conus planò aliquò per verticem sectus fuerit.
- VII. Omnem Angulum in sectione, & non etiam in contactu esse frustra contenditur.
- VIII. Motus caelestes etsi ad centrum Terræ relati, inaequales sint, æquales tamen sunt in propriis circulis.
- IX. Stellarum fixarum loca, quorundam visum, tantum feruntur in consequentia, quantum Ecclipticæ & æquinoctialis sectiones moventur in precedentiia.
- X. Terra à Sole illustrata, umbram conicam projiciens, non potest esse nisi corpus rotundum.
- XI. Motus projectorum per primam legem naturæ non satis explicatur.
- XII. Antipodes nostri aquè ac nos caput versus cælum elevatum gerunt, cum versus idem centrum equaliter nobiscum deprimantur.
- XIII. Cen-

XIII. *Centrum gravitatis in homine, non est idem cum centro magnitudinis.*

XIV. *Nimia sanguinis per venesectionem evacuatio potest in periculum hydropis injicere.*

XV. *Mercurius dulcis ratione aetheris, qui ipsum trajicit, potius pituitam quam bilem vel alios humores purgat.*

XVI. *Paroxysmus febrilis fit ex vitiatum humoris cum sanguine commixtione.*

XVII. *Primum virtutis fundamentum est suum esse ex ductu rationis conservare.*

XVIII. *Homo liber nunquam dolò malò hoc est eò modò ut verbis solum modò convenientià testatà, re ipsa contrarietas seratur, sed semper fide agit.*

XIX. *Quia id quod cupimus, amplecti conamur, unumquemque ex suo ingenio judicare quid bonum sit, non falso existimatur.*

XX. *Principem ut se tueatur, debere pravis, cum id occasio postulat, consiliis uti; reprobatur.*

XXI. *Non potest quis ob bonas actiones aequè ac ob malas in odium venire.*

XXII. *Homo salvis rerum suarum circumstantiis, ad matrimonium ineundum obligatur, ut natura, quæ accepit, reddat.*

XXIII. *Admissio Conjugis, de cujus silentio constare potest, in secretorum consortium, multorum in re familiari bonorum causa est.*

XXIV. *In vita conjugali blanditiis aggrediendum, quod severitate obtineri nequit.*

XXV. *Illegitimis jure actio conceditur pro alimentis sibi præstandis.*

XXVI. *Servus in rebus agendis ignavus non tantum à parte mercedis Dominum dispensat; sed etiam ejus coërcitioni subjacet.*

XXVII. *Ad universalem scientia humana cognitionem auxilium disciplinarum Mathematicarum est adhibendum, quarum gustus iam suavis est, ut amplissimis mundi opibus meritis sic anteponendus.*

F I N I S.

C

*Doctissimo Juveni Viro,*  
**D. MICHAELI WARIENSI,**  
Doctori Phil. dignissimo L. A. M. Clarissimo,  
Domino & Amico syncero.

**C**orporis & mentis cui se se Arcana recludunt,  
Dices Philosophum dextrâ lævâque paratum,  
His quia Scibilium currit complexio rerum,  
Quæ rapit, & totum sapientis terminat actum.  
In Fontis nuper Te cognitione Prioris  
Soli Batavico clarum Warine probasti,  
Nunc tibi Posterius quid cedat, quòve lacerto,  
Se subdat, patulo deprædicat aurea colo  
Materies, tantò quam ludis acuminis æstrò,  
Macte tuam meritò capiat nova laurea frontem,  
Et Patriæ votis speratò redditus, acrem  
Sophias accende facem, spartamque subito,  
Quam tibi cunctorum decernunt gaudia Fratrum.

FRRANCISCUS ZEMPLENYI. SS. T. S.

*Sic applaudebat, Lugd. Bat.*

*A D E V N D E M.*

**S**umere fumoso dudùm pendentia tigno  
Plectra, fidésque chelys ruptas renovare parantem  
Ut tibi Palladio cingenti tempora ferto  
Accinerem, ô paucos inter memorande sodales!  
Multa morabuntur, facies tristissima dulcis  
Patriæ & inter tot Victores præda triumphi  
Jàm jàm Pannoniæ tellus, quam Regibus olim  
Atque armis insignem latè exhorruit Orbis:  
Sed rupère moram: tuus in me candor & usu  
Explorata fides, mens ad sublimia nata,  
Judicii que gravi Gravium celebrata virorum;  
Illa tamen scripto, Duce quo mortalibus ima  
Obscuræ referas telluris viscera, fulvum  
Ut doceas aurum quid sit, quæ causa coloris,  
Quæ gravitatis & indomitæ virtutis ab igne,  
Et quæ de genere hoc aperis secreta metalli,

Judicio melius quovis expressâ nitescit.

O Utinam sapiant mortales ! Téque Magistro  
Incipiant ferro tractare nocentius aurum,  
Desinet infandum ferro esse nocentius aurum.

Sed quoniam ingenii vim, curam, sedulitatem  
Cum scriptô dederis, tum vivâ voce relatas,  
Nil superest, meritos quàm quod virutis honores  
Accipias, Ipsâ ferrum neclente Minervâ.

*Libens & gratulabundus scripsit studiorum & Per-  
grinationis per integrum fermè triennium in A-  
cademia Leydensi socius & individuus Comes*

PAULUS DIMIEN, Transylvanus.

*Ad integerrimum & Eruditissimum*

*Virum Juvenem*

Dominum MICHAELEM WARIENSEM.

**E**st ubi Turba Dei DEBRECEN Cognomine dicta,  
Hinc ut Trojano surgit proditque caballo,  
Miles WARIENSIS, referans penetrâlia Divæ  
Abdita naturæ, tetrâ caliginis umbris  
Evocat, apricum Phœbeum mente metallum  
Auri, quod rarum ! trutinat ceu Mysta petendum  
Quis nexus ? quæ causa foret sobolesque Parentis  
Nil dubii ! perspecta sonant, nullumque tacebunt :  
Ore cano patulo factum laudesque manento,  
His œelix sit Jôva tui moliminis Author.

*Hæc paucula fragranti rovebat affectu*

JOHANNES MAKODI, Debrecino Hungarus.

*In honorem Clarissimi ac Doctissimi Juvenis Viri*

Dom. MICH. WARIEN. gradu Doctoratûs  
in Philosophia cum honore suo & immortalî memo-  
ria nominis omniumque bonorum applausu ditati, ita læti-  
tiam super hoc bonô testatur.

**H**æsit in absurdis altâ caligine verbis  
Omne decus natura tuum, quo tempore lumen

Lucis

Lucis synceræ longis erravit in oris  
 Principiis falsò positis super addita falsa  
 Jactabant primi, quorum vestigia duxit  
 Cætus iners, ita tota virûm submersa sepulchro  
 Mortis turba fuit, Deus, & Mens, corpus, & omne,  
 Et quicquid natura suis cultoribus alma  
 Pandit, id obscuris, stultisque ambagibus ibat  
 Ast primò rerum Domino dum rumpere Mortis  
 Insidias hujus placuit bona forma medelæ  
 Adfuit, & rerum dulcissima germina surgunt,  
 Dante Deo dedit unus homo (quod defuit unum.)  
 Mystra sagax cujus vultu periere tenebræ  
 Hoc Duce conceptus recti de rebus haberi  
 Possunt, sydus adest, nec longis exulat oris  
 Quod rectum. Laus ampla tibi doctissime WARI  
 (Quem labor assiduus cælum contingere fecit.)  
 Crede mihi danda est, quia tu penetralia rerum  
 Publica sic etiam naturæ damna mederi  
 Nosti, quod vitæ est portus requiesque perennis.

MICHAEL P. NANASI RIVULINO,

HUNGARUS.

*Sapientiâ Claro, & virtute Excellentî*

DOMINO

D. MICHAELI WARIENSI.

**I**n mediis curis fugit eminus hostis ab hoste.  
 Respondes spartæ, Tu tamen ipsæ tuæ.  
 Rex Aurum insistit: rapis? & sic ritè medullam  
 Ingeniò pandis, nomen honoris adis.  
 Ejà age, sic cœlis MICHAEL peracutè petite  
 Evigiles: Batavi præmiâ prænde Chori.

*Hoc κειμήλιον & exile monumentum sacrum fecit*

NICOLAUS APATI de Debrecen.



